



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 58. Pontificis, Venetorumque copiæ in aciem eductæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI.
A. C. 1526.

Igitur Lanoyus, cum Galliarum Regem ad servandam fidem inducere desperaret, regno excessit, Neapolin reversurus. Ipse etiam Arausius Princeps, postquam jamjam ad confinia Regni procefferat, ut Burgundici Ducatus possessionem acciperet, inde ad inferioris Burgundiæ Comitatum contendit. Nihilominus Cæsar animum minime despondens, firmum fixumque habuit, quod nullam omnino mutationem in Madritensi tractatu admittere vellet; quocirca Guastæ seu Vastio Marchioni, necnon Antonio de Leva, quem exercitus sui Ducem nominabat, in mandatis dedit, ut arcis Mediolanensis obsidionem prosequerentur.

§. LVIII.

Pontificis, Venetorumque copiarum in aciem educitæ.

Ex altera vero parte summus Pontifex, Venetique Gallorum, atque Anglorum auxiliis confisi copias suas in aciem eduxerunt, exercitus imperio Urbinatum Duci demandato. Franciscus autem Franciæ Rex copias suas, quas in Italia alebat, commisit Salutiarum Marchioni, qui cum quadringentis Cataphractis, quatuor Vasconum peditum millibus, ac quingentis levioris ar-

H 4

matu-

Secul. XVI. A.C. 1526 maturæ equitibus sese Fœderatis iungebat, quibus etiam decem Helvetiorum millia accessere.

§. LIX.

*Franciscus Sfortia ad deditionem
Mediolanensis arcis a Borbonio
Duce compulsus.*

Guic. l. 17. **H**aud ignorabant Veneti, maximi omnino momenti rem esse, ut Cæsar ab arcis Mediolanensis expugnatione præpediretur, quocirca Urbinatis Ducem trajecto Abduo flumine cum sex peditum millibus, ac nonnullis equitum centuriis eo contendere iusserunt. Præterea summus Pontifex Guidoni Rangonio negotium dedit, ut totidem pedites Placentinæ urbi admoveret; opportune etiam, clam tamen, nonnullæ Helvetiorum copię conscribebantur, quæ nulla nationis suæ vexilla præferebant; id enim moris habebant, quoties absque Magistratum suorum auctoritate conducebantur. Equidem Urbinatis Dux Laudam urbem dolo cepit, nec tamen Mediolanensi arci suppetias ferre audebat, viribus suis diffusus: penetrabat etiam Salutarum Marchionis exercitus Pedemontium usque, nihilominus vani erant omnes horum conatus; Dux enim Mediolanensis deditionis